



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXXXII. Tyrannicida conductus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCCLXXXII.

Tyrannicida conductus.

CUJUS OPERA TYRANNUS OCCISUS FUERIT PRÆMIUM PETAT. Dives senex, adolescentem robustum in tyrannicidium pecunia data conduxit : occidit adolescens tyrannum : certant de præmio.

DECLAMATIO.

CUjus opera? inquit. Operam puto laboris esse, præclii, armorum. Tu, quam dicis operam? consilii. Atqui nemo, ut proposuit sibi tyrannicidium, continuo tyrannicida est. Tuum ipsum consilium quid profuisset citra manum meam? Ergo operam lex desiderat: ideo tantum concedit præmium. Atqui si hæc opera est, ego pugnavi. Sed ego, inquit, conduxi. Puta nempe, conduxisti, ut tyrannicida essem, tanquam si conduxisses, ut gladiator aut histrio essem: si conduxisses, ut hominem occiderem. nempe & ego tenerer. Non tua sponte tyrannicidium fecisti. Age, si hortatus esses in tyrannicidium, præmium peteres: sed tu me propter mercedem tuam putas tyrannicidium fecisse? tantum meritum mercenariæ operæ imputas? Non est humilis pectoris libertatem publicam capere. Etenim si tua merces movere me potuit, multo magis præmium movit: & ideo ad me venisti, quia intellexisti à vultu cogitationem tyrannicidæ. Cur ergo, inquit, mercedem accepisti? non cupiditatis causa, sed pignoris: quia tentari me putavi, & te à tyranno summissum. Quid ergo, duo præmia feres? ideo tyrannicida sum, ut tu. Jam habes præmium, patrimonium, liberos, tyranni mortem desideratam.

CCCLXXXIII.